





FA 134.082(1-12)



Declaro de D. José Aranau para la librería
al Contr. de M. Juan el la librería de Valencia



ORACION LATINA,
QUE EN LAS REALES EXEQVIAS,
QUE LA VNIVERSIDAD DE SALAMANCA CELEBRO
A LA INMORTAL MEMORIA
DE LA
SERENISSIMA SENORA
DONA MARIA LUISA
GABRIELA DE SABOYA,
ESPOSA DIGNISSIMA
DE LA C.S.R. MAGESTAD
DE
FELIPE QVINTO,

REY DE LAS ESPAÑAS,
EMPERADOR DE AMERICA , NUESTRO SENOR.
D IX O

EL SENOR DON LUIS GOMEZ DE PARADA,
Rector de dicha Vniversidad.

S I E N D O C O M I S S A R I O S

Los Señores, P. M. Fr. Garcia de Pardiñas Uillar de Francos, de el Real Orden de N. Señora de la Merced, Cathedratico en propriedad de Logica Magna , Doctor Don Manuel Martinez de Carbajal, Cathedratico de Volumen, Doct. D. Mathias Chafreon , Opositor à las Cathedras de Canones , P. M. Fr. Eugenio Gallego, del Orden de S. Benito , Cathedratico de Prima de Theologia de su Religion, Doct. D. Pablo Gomez Carbajo , Cathedratico de Vesperas de Medicina, y el Maestro D. Martin Diaz Cubilano, Cathedratico de Prima de Humanidad.

DASE A LA ESTAMPA

De acuerdo de la Vniversidad, con los epitafios, geroglyphicos,
y poesias, que adornaron el Real tumulo.

EN LA IMPRENTA DE EUGENIO ANTONIO GARCIA.

17262847

ORATIO FUNEBRIS

Quam coram Academiæ Salmanticensis Patribus
habuit

D. Ludovicus Gomezius de Parada Mexicanus

Eiusdem Academiæ Rector,

In obitu Serenissimæ Principis

MARIÆ LUDOVICÆ

GABRIELÆ EMMANUEL SABAUDÆ

HISPANIARUM REGINÆ.



I tanta mihi dicendi copia suppetet, Auditores amplissimi, vt ab his lacrymis, quas & eximia fidelitate, & amore immodico, & bonorum quoque amisitorum cognitione adactos, quantum excogitari possit impotenter, fundere vos video, aut omnino possem avertere, aut quodammodo saltem declinare; facerem non invitus, vt egregiæ eius dotes quam plangitis, & quod consequitur æternum apud nos nomen, repositumque apud superos præmium, vobiscum vosmet reputantes consolarentur: id enim mos postulat, quem à maioribus quasi per manus traditum accepimus. Verum cum video, non eo me præditum aut ingenio, aut facundia esse, vt pro digni-

tate rem tantam tractare valeam ; maximè quidem ve-
reor, ne ieiuna inconcinnaque oratione nostra non illus-
trentur eius virtutes , sed obscurentur potius , aut ita
depingantur, vt longè minora omnia, aut leviora, quam
re vera sint, vobis apparent. Inter hæc tamen dñæ in
præsentia res me consolantur, & quòd à me adolescen-
te , qui nunquam adhuc suggestum hoc amplissimum
contigerim , magnam illam dicendi vim non exigitis
opinor , & quòd vulgo testata cognitaque sunt ea de
quibus dicturi modo sumus , vt eorum narratio parum
necessaria, ac prope supervacanea videri possit. Quam-
obrem , tamen si in acerbissimo hoc inficto Hispaniæ
vulnere , parum conveniat mihi hæc, quam sustineo , per-
sona, facile tamen patior , apud vos aliquid pro tenti-
tate mea dicendi oblatam esse occasionem: ea præfertim
de re, quam Orator alias multò copiosior , atque accu-
ratiōr persecuturus sit. Cum verò tota orationis mea
ratio in eo posita sit , vt intestinus dolor, quem à præ-
maturo Serenissimæ Mariæ Ludovicæ Gabrielæ Emma-
uel Sabaudæ lectissimæ Hispaniarum Reginæ obitu ac-
cepimus, & sustinemus, quique totos nos permeat , at-
que opprimit impotenter, si non ratione aliqua obdue-
ta levari possit , obiectarum saltē virtutum , rerum
que gestarum gaudio forsan interquiescere videatur: com-
modissimum mihi visum est, si nonnulla ex ijsdem de-
cerpam , quæ lacrymis vestris objiciam , quando omnia
percurrere, & infinitum , & meis humeris impar , & vo-
bis molestum fore dubium nemini esse possit. Primum
igitur de his verba faciam quæ ab incunabulis ipsis or-
tum duxere: deinde de his quæ ab adolescentia , animo
ramen fudo , nullaque extera calamitate obruto prodie-
re: postremò de his quæ per media infortunia , quibus
miserrimum hoc tempus scatuit , quasi eluctans animus
perfecit. Hic enim ordo visus est, & commodior mihi,
& apertior vobis, & rei propositæ congruentior.

Ac ut ab eius natali die yniversæ potius Hispaniæ,

hia; ne dicam orbi; quam Augustæ Taurinorum felicissimo, petamus initium. Is fuit decimus quintus Kalendas Octobreis anno ab assertione mundi millesimo sexcentesimo octogesimo octavo: ut quo tempore Hispania nostra potentissima protendebatur Monarchia, eodem prodiret in lucem, quæ & suo, & sobolis adiumento labefactatam deinceps assereret. Patres habuit Serenissimos Principes Victorem Amædeum Secundum, Sabauidæ tunc Ducem, nunc Regem Trinacriæ, & Annam Aurelianensem Caroli Primi Angliae Regis neptem, & item ex fratre Christianissimi Ludovici, Decimi Quarti numero, re verò Maximi Galliarum Regis: soroem habuit natu maiorem Ducas Burgundiæ coniugem, unde proles illa quadrima supereft, quam Galliæ sceptro Deus faxit incolumem precamur: fratres itidem duos natu minores, alium Sabauidæ, post quæsitam videlicet Patri Siciliam, alium Augustæ Ducem. Vnde cumque Regalem nacta sanguinem Cyprium, Siculum, Germanicum, Anglicum, Hispanticum, Francicum: ne si antiquiora velimus repetere, totum Christianum orbem non modico vestrum omnium incommodo peragrare videamur. Tanta verò in ea vna facilitatis, modestiæ, ingenij, castiemoniæ, maturitatis, pietatis denique, ac religionis emersit præmatura congeries, quantam nullibi forsan historiarum, aut similem, aut parem reperire sit. Ut vel inde facile non ab humana quavis Regia stipe, sed à vetustissimo illo Judæorum sceptro non defuturo, Davidis scilicet, virginisque simul, ac Dei genitricis Mariæ progenie sola prodire posse quivis deprehenderit. Nec enim aliunde ortum existimo, ut in tam tenera ætate, in qua reliquis omnibus, & educari opus est, & corrigi: ea contra velut honestatis, ac virtutis insitæ specimen, atque exemplum cordatissimis omne genus viris insolito ad imitandum exemplo proponeretur. Equidem non video quoniam pacto sub aspectum vestrum, qui ingenio parum valeo, tam multa, ac propemodum

4
infinita subjiciam , nisi ad paucissima ; quam possim ,
capita redegero. Et sane mihi videntur tria præsertim
commodissima. Indolis probitas , ingenij solertia , & ad
omne virtutum genus propensio.

De genio perliberali, atque egregio satis super-
que suppetunt nobis exempla in mansuetudine , huma-
nitate, benevolentia, facilitate. Quid enim mitius Maria
Ludovica? Quid humanius? Quando ex his neminem,
quibuscum vitam oportebat traducere , non excepit co-
miter , convenit suaviter , & miranda quadam lenitate
tractavit ; in eum modum , vt quantumvis fetidus alte-
rius morbus , sive diuturnus , sive præsentaneus nauseam
provocaret, nihilo tamen magis à consuetudine, aut ne-
cessaria aut idonea , sit ausa vñquam expungere , neu
palam facere. O genium perliberale , atque admirabile!
O nunquam satis laudatam mansuetudinem! Quæ
privatus homo, & quidem sordidus perferre non posset,
Serenissima fœmina ingenuis in aula delicijs , assiduis
voluptatibus, oblectamentisque assueta, sustinere non du-
bitat. Nunquam passa est se ipsam præponi, vel asseclis
honorarijs , vel cubicularijs , quoties aut detrimentum
etiam leve sibi possent metuere , aut iustum aliquod
commodum affectare. Cum in medio itinere subsistend-
um esset in pago , vbi multiplicis contignationis do-
mus nulla esset , nec nisi cum periculo valetudinis, pos-
sent, vt moris est , sub eodem teſto , alio tamen cubi-
culo , cubare asseclæ , in vdo scilicet , quod vnum super-
erat , vestibulo; humanissimo hoc vno responso , & in-
commodum , & dubium sustulit: Sedate , inquit, animum ,
nihil vos prohibet huc inferri cubitum , vbi enim me lec-
to commendo , somnum illico arripio , tanquam lactens
puellula , ac vt suayissima eius elocutione vtar: come una
bambina di late. Ego quidem summam expertus sum er-
ga me , & Americanos mansuetudinem, atque humani-
tatem; nam cum primùm cùm popularibus meis , qui-
buscum adveneram , in Mantuanam novam pedem intuli ,

vehemens nos cepit desiderium , ut sit potissimum in
ijs, qui ex remotissimis oris appellimus, & Reginam , &
Principes invisendi , quos debita simul honoris , atque
amoris significatione adiremus. Mirum sane est quanta
erga nos benevolentia testificatio extiterit , ac velut in
animos nostros repente eruperit: nondum enim Americæ
nomen exauditum est in aula, cum excepti illico huma-
nissime , ad interius usque conclave deducimur , nec
tantum vti afflolet , & concupiveram , Regis manibus
ora componere datum est , verum & tripudia , quæ ad
eam pueritiae ætatem didicisse licuerat , iussit Principem
natu maiorem omnibus nobis coram exercere. Sed proh
Deus immortalis! Quam nihil gravatus, rogatusve , ut
evenire vulgo solet in pueris , sed immo libentissimus
prodierit! Quam compositus, placidus , atque accuratus
inceperit! Quam totos saltatorios orbes ad numeros fi-
dium aptaverit! Quam decorus decurrit! Quam exi-
guis! Quam fractis! Quam parum se attollentibus , at-
que ad maiestatis rationem conformatis bellè gressibus
processerit! Quam ad amissim, ad chordæ sonitum, & ca-
put, & manus , & pedes , & totum corpus exegerit!
Profecto cum horum memini , præ gaudio , atque exulta-
tione, mei mihi met compos esse non videor : dubius
sane quid cui præferam , an summam inde captam vo-
luptatem, an vero constantissimum mansuetudinis , at-
que amoris Regij signum exhibut. Quid iam excogiti-
tari potest humanius? Quid ad alliciendos longè etiam,
latèque distantium subditorum animos accommodatius?
Videte obsecro quoniam studio , quanam affectione pro-
secuta vos fuerit in media Monarchia constitutos , quæ
remotissimos quosque ita dilexerit , acceperit , honesta-
verit.

Complura etiam sunt ad manum de miseratio-
ne, & clementia testimonia. Cum enim Cæsar-Augustæ
ad epulum Eucharisticum accessura esset primo die Pas-
chatis Spiritus Sancti , circumpes , cui rei denunciandæ

cura demandata erat, aut oblivione, aut confidentia se-
 riùs quām oportebat, post rem scilicet divinam factam,
 Sacramenti administrum eius rei admonuit; at Regina
 humanissima ita allocuta est dolentem: *Prævia in me-*
met ipsam inquisitio acta transacta est, indicum pocu-
lum pergratum accidet, & Deus æquè præsto erit mihi
postera die, atque præsenti. Cūm verò cognovisset Mar-
 chionem de la Rosa in incuriam circumpedis, carcere
 animadvertisse, hisce ad eum verbis rem totam compo-
 suit: *Rosa sete crudelle asai, ceipi per cosi piccolo manca-*
mento? Rosa plus æquo sœvis, ex tam minutulo peccato
vincula? Videas in primo responso humanitatem, reli-
 gionem: in posteriore pietatem, clementiam, conspicua
 omnia. Cūm sacro adesset, & ex Regijs Celeribus ex-
 animatum quemdam esse inter excubandum animadver-
 tisset è transenna; confessim ad eum missit propiorem
 aqua instructum Hungarica, qua conspergeretur: nec
 priùs eam sollicitudinem exuere potuit, quām à defec-
 tione restitutum vidisset; sed charitati eximiæ maior re-
 ligio accessit: itaque sacrum iterari iussit, perinde qua-
 si non prodesset potius, quām officeret piissima illa men-
 tis avocatio. Cum in profectio[n]e ex Laletanis ad Celti-
 beros morbum contraxisset alumna honoraria; quò com-
 modius ea veheretur, in suam ipsius lecticam Regiam
 inferri iussit, & Cæsar-Augustam usque asportari: maxi-
 mam inde voluptatem captans, quotiens Reginam ea-
 propter appellari audiebat. Docilitatem autem tantam
 existimare, quantam neu videre, neu credere facile sit;
 nulla enim res est tam honesta, & constans, cuique ap-
 primè se totam etiam dediderit, cuiusmodi in admini-
 stranda iustitia integritas, sacrorum frequentatio, & alia
 huiusmodi, in qua tamen semel de causa aliqua nova,
 aut excessu admonita, non animum confessim inflexerit,
 subiecerit lenissimum. Cum christianam pietatem non
 communi, vulgarique instituto, sed imò peculiari quo-
 dam studio, & cæbriori, quam status ferret, Sacramen-

torum vsu , atque inductione mentis complecti assueta esset; admonita est ab insigni illo animi ductore Patre Balthasare Rubio non oportere Reginam spectatissimam à coniugis consuetudine , vel in sanctissimis rebus recedere, in ea præsertim in qua ratio Regis prudentior, & rerum publicarum expeditioni congruentior esset : at illa facilimè suum egregium captum , propt̄ parvi face- re insueverat, ad eius nutum nulla animi violentia accomodavit. Itaque nullum ipsius factum reperire est , in quo summa facilitas , lenitudo , & prudentia non elu- ceant.

Iam verò peracuto atque solerti ingenio , quæ potest par oratio inveniri? Sine vlo nutricis , aut gravioris ætatis foeminæ adminiculo lusiones illas pueriles, atque animi oblectamenta , quibus ea solet ætas traduci , suopte temperabat ingenio , atque ad honestatem, virtutemque dirigebat. Pupas ab ipsa infantia tanquam quasdam idololatriæ imagines, comptusque, ac ornatùs cupiditatem docentes spernere : quodcumque virorum commercium vel levissimum fugere ; lubrica omne genus oblectamenta , & quidquid rectæ institutioni posset nonnihil officere , odio habere immortali. Et quæ ætate nondum bonum à malo dijudicamus cæteri , ea quādam velut naturam præente cognitione est admonita, quām in animos illa irrepant , quibuscum pueriles horas , oblectationesque traduximus : quām diutissimè amor noster in eis perseveret , in quibus affectus ille primus alijs longè est pertinacior : quām demum plerique vſuveniat, vt quæ à pueris assueverimus , hæc crebro inscijs, & imprudentibus excidant , interdum reluctantibus elabantur , & erumpant invitis : tantoque frequentius si sint mala, vt est eorum tenacior humanus animus. Mirum est, quām præproperè percalluerit omnia, vt fugeret vitia , sectaretur virtutes! Quām probè intimos aliorum sensus , captusque introspexerit , quo magis suos in alienos deflecteret , & communem omniū

nium benevolentiam captaret! Ex his sane quæ in Monarchiæ huius rectione sæpenumero sibi demandata peregerit, de quibus nobis sermo habendus est, nihil non demonstrat. Inter alia ex infantia constat ad Eucharistiam accedendi licentiam, singulari admodum privilegio multò ante tempus assecutam esse, quod videlicet longè alijs maturior, atque excellentior ratio, & multa cum ea ad res divinas inclinatio exorta esset.

Age ergo, & quali in virtutes propensio-
ne fuerit consideremus. Sub viro Sapientissimo Se-
bastiano Valsfré Congregationis Oratorij Presbytero sa-
tis multum incubuit, & erigendo ad Deum, & exclo-
lendo in religione animo; ita tamen ut non tam insti-
tutioni optimæ, quam naturæ, atque ingenio videretur
tribuendum: quandoquidem ab eius obitu constat plus
multò deditam rebus divinis, atque ea devotione, ac
amore in cognatam suam Sanctissimam Virginem per-
petuò flagrasse, ut nullum sine statis, distributisque com-
modè precibus, sacri auditione, officijque, quod aiunt,
parvi lectione præterierit diem. Quod si in privata fœ-
mina singulare admodum, & perrarum appareat, quidni
in Regina vniversæ Monarchiæ negotiorum pondere im-
plicata miremur? Et quidem eò commendabilius, quo
rarius in his præsertim temporibus, & profusiore sæ-
culi licentia. Qui in adolescentia paulo incontinentio-
res, aut inconsultiores fuerunt, ætatis excusatione vulgo
defendi solent, si postea ad frugem bonam se recepe-
rint, quasi adolescentiæ cupiditates, voluptates, levita-
tes, aut facietate abiecisse, aut experiendo contemptisse
videantur; nam quia lubricas habet plerasque vias ado-
lescentia, in quibus insistere, aut ingredi sine aliquo ca-
su vix potest: fit ut eius errata, nimiaque libertas ve-
niam aliquam mereri credantur. Quanta igitur laude
dignam putabimus eam, cuius non adolescentia modo,
sed & ipsa exoriens ratio in pueritia ab omni cupidita-
te, malitia, levitate, quam maximè semper abhorruit?

9

Cuius ad laudem cum labore , & studio directum iter
fuit : in qua adhuc puella vires integras exseruerunt re-
ligio, & consilij maturitas , quæ raro admodum in ijs,
qui confirmata , corroborataque ætate sunt reperiuntur.
Nam hæc omnia sublimem quamdam , & planè heroi-
cam indolem , atque naturam arguunt , quæ nulla vn-
quam ratione corrumpi, aut à recto tramite diduci pos-
sit.

Quod secundò mihi propositum est, adolescentia
tam multas partes complectitur , vt nisi eorum , quæ
huc usque dicta sunt, narratio, tanquam in radice pers-
pectas redderet, incertum prorsus mihi esset , quasnam
decerperem, aut unde inciperem. Cùm vero pudicitiam,
exploratam dubio procul Reginam in virtutibus fœmi-
næ, sequantur inseparabiles, velut administræ, comitesque
virtutes reliquæ omnes, modestia, moderatio, frugalitas,
parsimonia, religionis cura, mansuetudo, domestica dili-
gentia, & in Regina clementia , & iustitia : non abs re-
me facturum arbitror, si ad duplicum causam rem totam
deduxero , vt eius progressum , & nostrum ex eo compen-
dium perpendero. Et progressum quidem excogitare
ferme maiorem non possumus, quandoquidem à iuveni-
libus vitijs , quibus ea ætas vulgo constringi solet , alienissima,
vitam planè degit senilem , continentem , gravi-
rem, pudicam, frugalem, & ab omni levitate , stultitiae
que remotam. Maiorem sui , rerumque terrenarum des-
pectum in alia uspiam non videris. Nunquam in confi-
tendo, vt loquimur , genibus superimponendis pulvino
usa est, etiam prægnans, & partui matura : quoties aut
oblivione, vt fit, aut incuria minus quam oportebat
liberaliter verbis tractata est à sacræ pœnitentiæ ad-
ministro , mirum quantum sibimet ea propter congratula-
batur , quod scilicet Deo coram exueret Maiestatem.
Quin & ab alio quovis , propt̄ humana in universum
despicere assueta erat, in ijs , quas crebras habuit , at-
que importunas, peregrinationibus , ægrè serebat Regi-

nam nuncupari , militis se non Principis vxorem dicitans. Nullum vsquam verbum minus pudicum , gestulatio indecora , incessus levis, amictus indecens , quæ passim in fœminis etiam honestissimis, aut naturæ , aut indulgentiæ sexus tribuuntur, licuit depræhendi. Imò vero contra in eum modum casti , & puri mores ex illa infantili consuetudine prima velut delineamenta duxerunt, vt mirum nemini esse debeat , si studia omnium, vel invita , tam præmature ad se traxerit, atque in tantam virtutum claritudinem, quantam ne intueri quidem suslinemus , evasserit.

Probè docta, quam apud optimas quasque turpe sit otiosam desidere fœminam, quam periculosum præfertim solam cogitationibus quantumlibet honestis initio , & sanctis animum committere ; quippe in quibus lubricus alioqui fœminæ cogitatus, nec uno loco facile consistens, à rectis ad prava exiguo negotio delabatur: quotiens per publica, aut domestica negotia sola esse licebat, primum omnium orare, legere , seque totam Deo tradere, & dedicare; quod vero reliquum erat linea , aut serico operi intendere, nunc suere, nunc acu pingere continenter, quatenus publicæ rei interventus aliquis non interpellaret opificium. O nunquam satis prædicatam Reginæ institutionem! O constantissimum pudicitiæ argumentum! O incomparabilem verecundia rationem! O indeleibile Maiestatis omnium supremæ monumentum! Si quævis plebeia mulier lana , ac tela victuma queritet , honestum quidem nobis vulgo appareat , atque eo commendabilius, si partem aliquam gratiæ, qui supersint reddat parentibus, atque illis à quibus acceperit alimenta pro modo suo reddere videatur; sin autem nibilis , honestius multò, quandoquidem nulla inopia adigente , ex optima hac sola cogitatione in eo perleveret , ne scilicet dato desidia aditu per omnes, vt sit, sensus , ceu per fenestræ quasdam regnum Sathanæ irrumpat , aut irrepat in animum: siquidem nihil feceris, si ab omni externa iniuria

11

ria lignum defendas, intuis tamen teredine in otio exedatur. Quid verò iam de Regina nostra dicendum vobis in præsentia videatur? Quænam quæso præconia sat apparent accommoda honestati eius commenändæ? Quænam diligentia? Quænam frugalitati? Quænam denique animi moderationi, quam vulgo humilitatem appellamus? Quæ & inopia populares, & fortunarum discrimine nobiles, & publicarum rerum pondere cæteras ab omni memoria Principes latè superaverit? Demetriadem, Tanaquil, Lucretiam, Penelopem iure merito celebrabat antiquitas, quod lanificium (nec enim referre putò lana, an linum fuerit) honestissimæ fœminæ exercitamentum tractaverint, non aspernatæ colum tenere, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere, neta in alveolis vertere, in globum colligere, torquere subtegmina, texenda componere, contexere, consuere: argumentum videlicet hæc omnia pudicæ, & prudentis fœminæ arbitrati. Verùm humana isthæc nihil reputavit Maria Ludovica, probè sibi conscientia hæc, & plura id genus alia, simpliciora illa nostris sœcula tulisse, in quibus & abundabat otium Principibus, & res præterea ad eam, quæ modò est profusio, atque elegantia nondum pervenerant. Itaque vnam sibi cognatam suam Angelorum Reginam, accuratissimè ea in re sectandam proposuit, quæ in stemmate quatuordecim Reges, tot Iudices Israelis computans, & quod omnem prætergreditur humanum captum, conscientia cœlestis partus, & Dei ipsius genitrix, æquabilem, ut nihil supra, gesit animum, non dignata viro fabro ministrare, consanguineam invicere, eique gravidæ adsistere, ac famulari.

Nostra verò commoda ex iustitia probè administrata, profusa clementia, divini cultus augendi studio, nec non liberorum educatione continentur. Hæc autem satis liquere vobis reor, quibuscum acta sunt: quapropter multus non ero in eis persequendis. Quis enim vestrum, si de reddendo dum rerum potita est iure, sermo-

habeatur, locuples non sit testis recte distributorum mun-
 nerum, iudicatarum legibus non pretio retum, omneque
 genus iurisdictionis exercitæ sine iniuria? Quoties enim
 vel modicum in obscuris, aut dubijs sibi diffidebat, pro-
 vt animo erat frequens moderatissimo, apprimè id cu-
 rabat, vt integerimos, & solertiissimos adhiberet viros.
 Et sanè si ratione simplici vti velimus: quis rogo ves-
 ttum plus exigat prudens à pudibunda fœmina, recens
 nupta, adolescenti, parum aut nihil adhuc experta, am-
 plissimoque simul atque arduo præposita moderamini,
 quam vt sedulò curet consultos, atque integros viros,
 rebus ijs præfici, quibus ipsa præesse non possit? Præ-
 fertim cum in Principibus etiam instructissimis, & cor-
 datissimis id iam moris invaluerit, exigente scilicet na-
 tura rerum, negotiorum multitudine, perplexitate,
 frequentia, vt suæ quæque rei consilia præficiantur, qui-
 bus nemo mortalium satis esset solus. Unde non est ex-
 petere, aut accipere maius à Deo bonum, quam Regem,
 & Reginam miti ingenio præditos, totosque in æquita-
 tem, legesque observandas intentos. Divini verò cultus
 augendi, extollendique curam, & prolixam in subditos
 clementiam, tales existimate, quales illam in Deum
 propensionem, atque in nos mansuetudinem, quas initio
 vobis proposui, necesse sit consequi. Sed vt ne multò
 exemplorum aggere, ad ea præsertim, quæ probè alio-
 quin nostis, confirmanda, teretes, atque exploratas vestrum
 aures videar obtundere: illud vnum, cuius in præsentia
 memini, quodque & augendæ religionis curam ostendit,
 & summam præterea clementiam vobis monstrat, ex-
 hibebo. Cum Hebdomadis sanctæ feria septima anni mil-
 lesimi sepingentesimi tertij Petrus Portocarrero Pa-
 triarcha Sacrosanctum Crucis lignum post Regem, &
 Optimates soli Reginæ, provt moris ad illum diem fue-
 rat, obtulisset adorandum; mundo præfectis, cæterisque
 honorarijs fœminis, quæ ad rem Divinam vnà aderant
 offerri iussit, & Præsulem visitatis formulis nonnihil in-
 silentem, piissimo, eodemque constanti dicto compes-
 cuit,

13.

cuit. Nonne & pro his sacrosanctus Christi sanguis effusus est? Vnde idem deinceps quotannis usurpatum est. Liberorum etiam, & Principum educationem, ex ea, quam nuper proposui, domestica diligentia conjicite. Quonam enim, quæso, pacto liberos instituerit, atque educaverit, quæ tantam, quantam vobis proposui, familiari rei, & domesticæ navaverit operam? Quantam item publicæ rei, vestrumque omnium curam gesserit, quæ tantam privatæ rationem habuerit? Quantam denique Divinæ operam dederit, in quam primaria inclinatione propendit, quæ tantam in humanis, quantumlibet honestis, collocaverit? Illud summatim referam nunquam ad aliam faciliores aditus privatorum, summam ei fuisse in rebus vel modicis distribuendis, dicendoque iure æquitatem, sedulitatem; in Philippum amorem, fidem; in nos affectionem, clementiam; in liberos curam, & diligentiam: *Cuius præcipua laus*, vt appositi cum Tacito de Cornelia Gracchorum, Aurelia Cæsaris, atque Accia Augusti matre loquamur, *tueri domum*, & *inservire liberis*. Domus autem verbo Monarchia, liberorum subdit*i* in bono quoque Principe continentur.

Satis iam multa verba fecisse arbitror, & de aditu infantili, & de progressu iuvenili ad omne genus gloriae. Restat ut de animo assidua temporum calamitate, nec non privatis ærumnis probato, quæ optimum, maximumque ad laudem iter perfecit, dicendum esse videatur. Et quidem hac tempestate, qua totam nostri causa Europam, & exteris, & intestinis bellis vexavit Dominus, cuius bona nos pars, & externa vi, & internis dissidijs conflagrantes maxima omnium Dei flagra, atque ea atrocissima, patribus, & avis nostris nova, atque inaudita passi sumus: nulla profecto aptior dici, aut ex cogitari unquam potuit, in qua Reginæ nostræ patientia, fortitudo, & constantia durius ad examen produci pos-

posset. Ecquando enim per hos terdecim ab eius con-nubio, & rectione annos Europa à bello cessavit? Quod genus improbitatis, inhumanitatis, fævitiae est prætermis-sum? Mitius pugnasset homo cum fera, quam cum ho-mine, & quidem fratre suo, quando fratres omnes effi-cit communis parens Christus, & per eius sanguinem innovatio creaturæ. Uidit nostra ætas vltima crudelita-tis exempla, incendia vrbium, populationes agrorum, vastitatem regionum, fontes veneno infectos, trucida-tos pueros, corruptas virgines, tortos inhumanissimè ho-mines, omisam imò verò irrisam verecundiam, & des-pectum sacrorum, sexus, ætatis, valetudinis: omnia pro-miscuè vexata, compilata, rapta, violata, cæssa. Et, quod superat indignitatem omnem, ab his, qui dum illa pa-trarent, Christum & implorabant ipsi, & implorari ab ijs qui patiebantur audiebant. Incredibile est quām hæc transfixerint pectus Gabrielæ! Quām subditorum clades, provt eos deperibat, doluerit! Quām crebrò ad Dei Op-timi Maximi, eiusque matris opem pro pace impetranda confugerit! Quām pro viribus, & humana, & Divina omnia remedia adhiberi curaverit! Profectò communis mater, quæ nos omnes edidisset in lucrè, nullo vsquam maiore, aut studio, aut officio, aut subsidio prosequere-tur. Inter hæc omnia ea fuit animi, vt vos non præterit, magnitudine prædicta, vt quoties è republica fuerit, aut privatis oblectamentis, aut aula Regia, aut consuetudine coniugali privari, vltro ipsa viri amantissimi absentiam ornaverit, & in exilium constanti, atque infraicto ani-mo præiverit; maiorem simul, & potiorem eo facto His-panorum partem in tam turbida, & dubia eventuum alea secum adducens: & pulcherrimo sui exemplo, & exulantis desideratissimæ sobolis illico, libentissimos quosque ad imitationem compulso. Nec dum hic con-stitit, sed quas pecunias, quæ dona, in ea rerum con-versatione, ac perturbatione publica minutatim vndecum-que colligere, ne dicam corrogare dabatur, omnia con-fes-

festim ad amantissimum virum transmittebat, quo publicæ quām posset rei subveniret: ut vel inde conjicias Reginam præstantissimam, consultissimam, atque in commune, bonum effusissimam.

Quanta tamen in adversis patientia, in prosperis moderatione, in omnibus æquanimitate polluerit, non est verbis facile complecti. In morbis quotquot habuit, molestijs, partibus, ceterisque id genus incommodis, quæ humanam naturam sequi necesse est, eo viguit animo, cuius nulla vñquam immutatio reperta sit. Verūm quod claudit integerrimæ vitæ curriculum, totiusque nostræ consolationis agmen, is est postremus casus, per quem Deo potius vindicatam, quām nobis erectam conspicimus. Quis enim ex vobis non miretur in iustinendis æquo animo ærumnis patientiam? In serenitate atque exultatione animi magnitudinem? In eorum qui aderant animis confirmandis constantiam? In Eucharistico epulo impotenter desiderando pietatem? In eodem iterum, ac tertium fuscipiendo charitatem? In corporis procurandi contemptione, omniumque hamanarum rerum despiciencia fidem? In posthabendo iusculi ab elixa gallina pocillo, quo, ferme examinis, summoperè indigebat, fortitudinem? In cœlestium, divinarumque rerum repetita, atque expetita commemoratione sanctimoniam? In piissima dēnum inter orandum defectione animæ beatitudinem? Quam vitam, exiguis tametsi regionibus circumscripatam, tam omnes arctè complectimur, ita diligimus, immo ardentissimè, ac vnicè amamus, vt nihil existimemus horribilius, quām vel mentionem villam de amittenda fieri, non video quonam pacto Regina incomparabilis inter medianas etiam aulæ delicias, nihil reputaverit: nisi assueta sui meminisse, terrēna despicere, ad Dei Omnipotentis spem vnam configere, atque in eo se totam collocare, etiam cum de salute, capite, fortunis ageretur, æterna sibimet præmia dispiciens imminentia, congratulata sit.

Verūm iam videor, Patres Conscripti, his ipsis,
quæ


quæ à me huc usque dicta coacta sunt, iure merito conveniri. Quid enim aliud sibi velle videri possit hac tot gestorum moles, virtutum congeries, collatorumque in nos beneficiorum cumulus? Nisi, ut, quam beneficentissimam sensimus, ægrè amittamus, iure desideremus, continenter lugeamus: *Fieri enim*, ait Plato, *mortuum iubere, sicut vetare absurdum est.* Ecquid igitur potest usquam gentium impedire eas lacrymas, quas bonorum, & quidem ingentium, amissorum causa vel ab invitis extrahit? *Quis amore deperditos Hispanorum animos à comploratione prohibere sit satis?* Cui tandem vel dementissimo in mentem veniat, vulnus hoc præmaturum, inopinatum, acerbissimum, quando nostrum nihil tale cogitantum penitissima transfixit pectora, æquo posse nos animo perferre ac pati? Nisi aut barbarie feras, aut immanitate tigres, aut duritie vincamus adamantas. Et nos equidem effusis in eam sollicitudinem habenis oportet, fateor, in præsentia concedere, si Ethnicorum more sola humana ratione niteremur, ita exedens nos angor cognitionem omnem obducit, atque impedit. Verum cum video non hic consistere christianos debere, sed immò viatorum more voluntati divinæ dicto audientes ad eius solam æternam beatitudinem respicere; cum mente repeto consultissime nobis à Deo factum, & superstite sobole, qua tantoperè huc usque indigebamus, & pace itidem in tota propemodùm Europa stabilita; cum tandem adverto animum ad absolutissimum simul, & pulcherrimum illum muliebrium virtutum mundum, tam probè à Deo ipso in Regina nostra compositum, ac fabrefactum, atque in extremum mirificè halitum perducum: mirari satis non possum quam inconsideratè lucrum, quem primus naturæ impulsus ratione inconsulta promovet, producere non vereamur: ut quā melius consultum nobis à Deo sit, è in ipsum, quasi succentes, profusis efferamur querimonijs. Etenim quemadmodum sapiens pater filio puero lusionibus dedito, & propterea

Iudum litterarium fugitanti, ne vanâ illa occupatio-
ne, & cura infrugifera à potioribus abstrahatur, fran-
git nonnunquam bacilos, spargit nuculas, adimit
strigmenta, projicit pilas, & alia quibus ad luden-
dum ætas illa capi consuevit. Ita Deus Optimus
Maximus lusus hos nostros fortunarum, nec situdi-
num, sanguinis, corporis, valetudinis, gloriæ, pu-
blicæ rei, non minus quidem, quam pueriles illos,
sæpenumerò vanos, & ineptos, vel diminuit, vel
prorsum tollit, quo facilius nos reducat ad unum
illud verbum, quo vnicè indigemus, quod cœlum,
ac terram stabilivit, quodque Reges, ac Prophetæ
per multa fæcula desiderarunt.

Quapropter vos oro, atque obsecro, vt in
communi, atque effrænata hac acerbitate doloris, ve-
litis remittere, quantum in vobis sit, & planetum,
& lacrymas. Et qua cæteros longè cognitione rerum
antecellitis, eà ipsâ totâ, cœlestium præstantiæ gna-
ri, ad rem præsentem vtimini. Nolite iam fortuna-
tiorem factam Reginam, provt par est credere, de-
siderare. Perpendite quæso, quam pulcherrimo ad
vitam ingressu, religiosissimo per adolescentiam pro-
gressu, atque absolutissima ad obitum usque per la-
bores constantia multò beatiorem, nec defuturam
apud superos coronam sibi quæsiverit. Intuemini, si
placet, amantissimum Regem nostrum, eiusque con-
iugem Philippum penitissimo omnium vulnere trans-
fixum! Uersate diu, quam & ipsius, & liberorum
corda fatali coniugis, ac matris discessu laniata,
di-
repta, trucidata sint! Et quidem quæ nulla vñquam
ratio, nulla vis temporis, aut restituere, aut opituli-
lari, aut opem vel modicam afferre sit satis! Videte
quam ad unum Deum in tam immani malorum ag-
gere religiosissimus Princeps supplex confugerit! Et
vos exemplum eius pulcherrimum, quem in omni-
bis imitari condecet, in hoc uno deserere non ve-

reamini? Agite iam pér Deum immortalem, & quas
virtutes, quæ gesta vtriusque Principis Philippi, &
Mariae animis planè effingere non sustinetis, sectari
saltēm conamini: quo magis in hac mortalitatis val-
le, quasi currentibus (vt est in proverbio) micantio-
rem deinceps lampadem possimus tradere, humana-
rumque rerum imbecillitatem edocti ad vnum
Deum , eiusque beatitudinem respicere
sempiternam.

D I X I.



EPITAPHIOS,

GEROGLYPHICOS, Y POESIAS

Con que la Universidad de Salamanca

Adornò el tumulo, que erigiò en su Capilla

Para las Reales Exequias

DE LA REYNA NUESTRA SEÑORA

DOÑA MARIA LVISA

GABRIELA EMANUEL DE SABOYA.



Adorno de el primer cuerpo, ó bafa.

*En el antepecho, ó parte Septentrional este Epitaphio
en medio de los dos Geroglyphicos,
que se le siguen.*

D. O. M.

Heus , te quæso viator , huc accede,
Qui lugeas potius , quam legas.

Insiste

Donec collustres cinerem.

Hesperius mirum! Phosphorus, oriens occidit Hesperus;
Pulcherrimus, si quis usquam , flos
Marcuit tenerrimus:

Scilicet

Patriæ, Principis, Parentum, Prolis
Fallax de more spem fefellit fatum.

Prodijt

Ex immortali Davidis sceptro
Mortalis eheu!

Hispaniarum Regina

MARIA LVDOVICA GABRIELA EMMANUEL

Duce Sabaudo, Rege Cyprio, Siculo prognata;
Religione, pietate in Deum, fide in Regem,
Cura in liberos; clementia in omnes
Incomparabili.

Obijt!

Regi, Principibus, totique Hispanorum populo
Dolore inficto,

Desiderio relicto maximo
Coniugis delicum, liberorum solatium,
Regni decus, Orbis gloria.

Iam, si sapis, viator

Noli inquietare, noli vrgere lacrymis
Laude, nomine, desiderio, gloria perennem;

Quandoquidem

Factis, non scriptis, heredibus,
Quater enixa, superest triplex.

Et quod omnium potissimum:

Non obijt,

Esse inter mortales desijt.

SALMANTICENSESIS ACADEMIA.

Idibus Aprilibus an. MDCCXIV.

P. P. P.

Geroglyphico I.

Pintòse vna Pyra encendida, y sobre las llamas vna Corona Real de oro muy resplandeciente , y por lemma:
Tanquam aurum in fornace. Sap.5. V.6.Y abaxo este distico.

*Omnia flamma vorax , cum vel durissima perdat:
 Hæc tamen à flamma est redditia limpidior.*

Con el mesmo activo ardor
 De ese elemento voraz,
 Quedò acrisolada mas.

Geroglyphico II.

El Olympo descollando sobre las nubes , y desde es-
 tas vna grande tempestad de rayos, y lluvia. Lemma:
Tutam me copia fecit. Ovid. metam.

*Turbine turbatis animis lacrymamur; at ille
 Ridens seposito despicit ima metu.*

A todos nos aflijió:
 Pero allá à la extremidad,
 No llegó la tempestad.

*Epitaphio , y Geroglyphicos de la parte posterior,
 ó Meridional.*

D. O. M.

Princeps Iberiæ omnium lectissima
 MARIA nulli fœminarum laudibus,
 Aut oris, aut pudoris impar fœmina
 Hoc in sepulcro pulvis exilis iacet:
 Trux Aquilo pepulit huc iuventæ à floribus;

Ceu

22

Ceu Cypriæ teneras manus aculeus
Deæ pupugerit ad necem , ceu squalidus
Pluto reputatam rapuerit Proserpinam,
Quam Sicula frustra mater exquirat Ceres.
Ah quale sæclis invidendum posteris,
Avara Parca sustulit terris decus!
Vbi forma nunc, astrisque paria lumina,
In quæis posita fuere vita coniugis,
Et liberorum, & omnium solatum?
Evanuere ceu rosæ, quas Delius
Oriens puellas, occidens anus videt.
Ecquisne prudens tam fugacem corporum
Suspicere possit iure pulchritudinem?
Aut debilem mortalium potentiam?

Geroglyphico I.

El lleno de la Luna: esto es el globo terraueo en
medio, la Luna llena arriba, y el Sol abaxo. Lemma:
Scilicet aduersis probitas exercita rebus. Ovid.

Quò magis abscedens secernor ab orbe mariti,
Hòc magis expanso lumine plena feror.

El Cielo que de mi Esposo
Tan lexos me colocò
De mejor luz me llenò.

II.

Vna AgUILA remontandose àzia el Cielo sobre las
nubes, y tres polluelos en vn nido llorando su au-
sencia. Lemma : *Natura hoc præstat.* Senec. 4. de
benef.

Plangite ne pulli matrem , quasi liquerit orbos:
Haud struit illa fugam , summa suopte petit.
Bien que evitar esta ausencia
Quisiera mi corazon:
No me dexa mi passion.

Epi-

Epigramma, y Geroglyphicos de el lado Oriental.

Quid querimur mortem? Quid veste incedimus atra?
 Quid bustum erigimus? Re puto desipimus.
 Sunt bona sub noxae specie. Quis crederet? Illi
 Mors requies, nobis non bene pensa dolor.

Geroglyphico I.

Tres montes chicos, y otro en medio muy alto , y
 abierta su cumbre de vna centella. Lemma: *Stimulos dedit æmula virtus.* Lucan.

Postpositis reliquis mons celior excipit ictum:
Scilicet ille plagas occupat æthereas.
 Como los otros son chicos,
 Y tan elevado yo:
 A mi solo me llegó.

II.

Vn jardin lleno de flores , y vna mano entre las
 nubes, llevandose vna rosa la mejor de todas. Lemma:
Dij s placet. Plaut. in amph.

Quem manus abstulerit Domini, ne quære viator:
Haud potuere Deo non meliora legi.
 Quando la mano de Dios
 Se ha llevado aquesta flor,
 No ha escogido la peor.

Epigramma , y Geroglyphicos de el lado Occidental.

Si virtus, si forma, boni si denique mores
 Ius in fata habeant , viva MARIA foret.
 Ast exul terris nobiscum foemina degens,
 Reddita iure lari , venerat vnde, suo est..

Geroglyphico I.

Vn amaranto cortado, dexandole tres ramitas floridas entre varias flores intactas, y sobre vn sepulcro su flor principal. Lemma: *Nomenque erit indeleibile nostrum.* Ovid. in fin. metam.

Cur prius in viridem graffata est mors amaranthum?

Quod peritura tenet, non peritura petit.

Solo ha cubierto el sepulcro

La que merece la gloria

De eternizar su memoria.

II.

Vna Isla , y en ella vn rosal lleno de rosas blancas, y entre las nubes vna mano algo ensangrentada, con vna rosa encarnada , mayor que las otras. Lemma : *Maior deceptae fama est, & gloria dextra.* Mart. i. epigr.

Vellere nixa rosam suffudit sanguine Cypris:

Pulchrior illa tamen facta crux novo est.

Quedó de sangre cubierta

Por competir con la Diosa:

Pero quedó mas hermosa.

Adorno de el segundo, y principal cuerpo.

Epigramma, y Geroglyphicos de la parte anterior.

Hic GABRIELA iacet centum sata sanguine Regum,

Quacum Maiestas Itala prisca iacet.

Si, quæ lustrabat radijs regalibus orbem,

Occidit huic, alio nunc agit orbe diem.

Geroglyphico I.

Vna vara de Jèsse muy florida, elevada, y resplandeciente, y al pie de ella tres renuevos. Lemma: *Virtutem promovet insitam.* Horat. 4. carm. 4.

*Germina dum floret, ductamque per aethera virgam
Desine mirari: stirps dare munda potest.*

Tanto pimpollo aun en flor,
Tan pronta, y crecida altura
Vienen de raíz muy pura.

II.

Vna llama que dexa tres asquas sobre vna ara, sibiendose àzia la region de el fuego. Lemma: *θαυμα την επιτελει : Mori optat.* Homer. Odiss. 1.

*Quod prunas linquam, si qua est, est culpa parentum,
Qui pronam in patrios me genuere focos.*

Si ay culpa en dexar el suelo,
No la puedo tener yo:
Tuvola quien me engendrò.

Epigramma , y Geroglyphicos de la parte posterior.

Itala terra dedit, rapuitque Hispana, tenet nunc
Urna hæc: instabilis stat sua cuique domus.

Geroglyphico I.

El Olympo que esconde su cumbre entre las nubes.
Lemma: *Caput inter nubila condit.* Uirg. 4. Æneid.

*Abscissum nobis ne crede cacumen Olympi:
Exserat ut molem nostra parum regio est.*

Parece falta la cumbre;
Y es que su dilatacion
No cabe en esta region.

II.

El Sol , y en vna sala tres espejos tendidos en el suelo, que reciban sus rayos por otras tantas ventanas, para que, despedidos ázia el lienço contrario, se vean en él tres Soles. Lemma: *Uim temperatam Dij quoque provehunt in maius.* Horat. 3.carm. 4.

*Qui ferit infractis radijs Sol lumina: gratus
Luce repercussa visitur ex speculis.*

La luz que no ay quien resista,
Con estar de aqui tan lexos:
Se ve mejor por reflexos.

Epigramma, y Geroglyphicos de el lado Oriental.

Sceptra, genus, virtus, soboles, nil profuit ætas
Vivida: sic eheu! res pereunt hominum.

Geroglyphico I.

Vna AgUILA en el Cielo mirando ázia la tierra.
Lemma: *naga tis kai iui: Ad sunt & nobis.* Homer. 3.
Iliad.

*Clarius ima videt, quò celsior est Jovis ales:
Ergo dedit nobis, abstulit æbra nihil.*

Quanto puede suceder
En la region inferior
De el Cielo se vè mejor.

II.

Una aguja de navegar buelta ázia el Norte. Lemma:
Ad locum suum revertitur. Eccles. 1. 5.

*Hanc magnetis acum cœlestia vergere ad astra
Ne mirare: locum querit origineum.*

No estrañeis su movimiento,
Que, quando se buelve al Cielo,
Buelve à su nativo suelo.

Epigramma, y Geroglyphicos de el lado Occidental.

Omnibus vt prosis, Dominum timéasque, colasque;
Hanc sequere, & perages; continet omne typus.

Geroglyphico I.

Vn manzano à la orilla dc el mar cortado, y en él
tres manzanas muy hermosas vna mayor que otra,
y sobre el mar vna Estrella. Lemma: *Nunquam me-
liore potentia. Ovid. 2. de punto 3.*

*Dissoluere quidem teneram fata invida Pomum;
Pignora salva tamen Stella propinqua dedit.*

A despecho de la Parca
Se debe esta fruta bella
Al influxo de essa Estrella.

II.

El Sol eclipsado enteramente, dà luz à tres Estrellas
que estén àzia el Oriente vna mayor que otra.
Lemma: *Mens immota manet.* Virg. 4. Æneid.

*Quos prohibet terris radios, hos explicat astris;
Non alias poterant hæc aperire iubar.*

Para que luzir pudiesse
Todo esse signo Español,
Se huvo de eclipsar el Sol.

*Subscripciones de las Estatuas de las quatro
partes de el mundo, puestas à las quatro
esquinas de el segundo cuerpo de
el tumulo.*

EUROPA.

Bella quidem patior, cladeique Europa cruentas
Præ tamen hoc obitu, cætera nil dolui.

ASIA.

Túrcas, Tartariam, Persas, maria Indica, Sinas
Constat ad hanc Dominæ contremuisse necem.

AFRICA.

Substituam lacrymis opus est, ait Africa, Memphis
Quod præstare satis marmora non poterunt.
AME.

AMERICA.

Quà mare , quà terras diffundor America : busto
Non satis est terræ, non maris est lacrymis.

Sobre la puerta de la Capilla.

Tractus temporum

in Augusta.

Prisca habuit votum : Præsentia tempora plausus:
Me exceptura dolor : Secula sola seges.

Traduccion.

De mi la passada edad
T'ovo la ansia: Esta el loor:
La venidera el dolor:
El fruto la eternidad.

Algunas de las muchas poesias, que adornaron el patio de Escuelas mayores.

Monocolon Iambicum.

Viator heus, quamvis celer pertranseas:
Hic te tamen lapis rogat, digneris vt
Perlegere quod scriptum est. Sub isto marmore
Iacet sepulta MARIA Princeps optima
Hispania. OSSIBVS hæc : Aveto heroicum
Corpus, ANIMÆque dic : Ovans congaudeas.
Christo redemptori tuo. Tunc perfice
ter. Hoc volebam nescius ne essem. Vale.

SONETO.

Marmol parece en catre, tumba, ó pyra,
Y à tanto ahogo, como el mal repite,
La congoxa vn suspiro no permite,
Por donde se conozca si respira.

Contra la Magestad el mal conspira,
Que apenas el sufrir remedio admite:
Sintiendo solo, que el morir la quite
Meritos para el premio, que suspira.

Contrariedad su triste ausencia encierra
De gloria à vn tiempo mismo, y desconsuelo,
Dando à el Olymbo paz, à el Orbe guerra:

Pues no imagina nuestro amante zelo,
Que aya perdida igual para la tierra,
Ni victima mas ignata para el Cielo.

Carmen Phaleucium.

Hic ingens cubat illa GABRIELA;
Cœlesti Davidis domo suborta;
Olim progenies Ducis Sabaudi,
Regis nunc Siculi; insuperque nostrum
Regina & placida, & pia, & benigna;
Coniux optima Maximi Philippi,
Cuique enixa quater, superstites tres
Eduxit genitos; Iberia omnis
Plausus, deliciae, salus, levamen;
Pubens nacta brevi Deum videre.
Hic ingens cubat illa GABRIELA.

SONETO.

Muere LVISA GABRIELA, ò triste suerte!
 Quando ocupa el zenith de su hermosura,
 Trocando su brillar en niebla obscura
 El golpe inevitable de la muerte.

O caso lamentable! O pena fuerte!
 O nunca bien llorada desventura!
 El auge de el vivir en sepultura,
 El de el luzir en noche se convierte.

Lamentese ya España sin consuelo,
 No admita otro descanso, que llorarte,
 Aspire mal herido nuestro anhelo

A eternas esperanças de gozarte:
 Que si de vista te nos quitò el Cielo,
 De los deseos no podrá apartarte.

EPIGRAMMA.

Fortunæ appendi domui Regina triumphos,
 Cum Mars per terras , per mare signa daret.
 Promere tranquillum sonitum vix cœperat Eurus,
 Occupui : Virtus otia non patitur.




346612910

or







FUNER

25

Reyes;

in collection

Tono.